

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis.

Praemia sociis attributa.

De Syllabi Pii PP. X propositione XXXIV.

Sacrum Praeseppe Christi nascentis cunabula.

De re catholica apud Iaponos.

Paroemiae sive adagia: Frons occipitio prior. — A capite ad calcem.

— In trivio esse. — Cum larvis luctari. — Mature senex.

Quaestiones philologicae. Forma grammatica actionis praeteritae perfectae linguarum recentium cum latina comparata.

S. Petri primatus et praerogativa ex archaeologiae testimonio.

Petrus a fidelibus adorandus. — Petrus Legis custos ac caelorum claviger.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae: Ex Congregatione Consistoriali.

Diarium Vaticanum. Coram SSmo admissiones. — Pontificiae electiones.

Annales. — Annus MCMX.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.


loci. Loquacitas molesta.

librorum recensio. — G. Pécs.

bibri recens dono accepti.

Aenigmata.


Appendix: Euplius.



Sociis et lectoribus Commentarii nostri omnibus, iis praecipue qui, pro sua humilitate, gratulatorias auguralesve litteras tum ob honorem Moderatori nostro recensa Summo Pontifice concessum, tum ut VOICI URBIS magis magisque vultu rideat fortuna sereno, hisce diebus ad nos miserebunt, novum annum bonum, faustum, felicem, ex animo iterum iterumque omniamur.

Proposita nostra in superiore numero ediximus, neque hodie iterabimus; id unum in mentem revocamus, Societatem nostram nulli fulcro, nisi studio, favori, patrocinio subnotatorum inniti; Commentariique, itemque Latinitatis, progressum et propagationem, ad quae unice intendimus, ex iis unice pendere. Non modo igitur si quis libere recepta officia nondum persolverit, moras praecipitet, precamur, sed singuli, pro sua quisque parte, ut mature festinent. Quid si nomini suo et pretio subnotationis, unius tantum amici et nomen et pretium addiderint? In tenui labor, at tenuis non gloria...

S. E. R.



PRAEMIA SOCII ATTRIBUTA

Meminerint lectores, in primo transacti nuper anni MCMX numero, *singularia praemia* nos constituisse, sub anni exitum assignanda, *trium numismatum argenteorum* ex iis, quae Pontifex Maximus quotannis in festo Apostolorum Principis cudi iubet, Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda; quorum unum collegio, aut seminario, aut scholae illi tribueretur, unde plurima soluta oratione scripta cuiuslibet argumenti publicatione digna ad nos per annum pervenissent; reliqua duo sociis illis, quorum scripta pariter per annum in commentario vulgata, a doctorum virorum collegio maxime commendarentur. Quod quidem collegium in eiusdem anni numero III enunciatum est egregiis viris compositum CAESARE DE ANGELIS S. I.; FR. XAV. REUSS C. SS. R.; I. I. BERTHIER O. P.; THOMA VIGNAS S. P.; JOSEPHO FORNARI, Commentarii nostri Moderatore, *a secretis*.

Hi sententia sua scriptis tradita, unanimi consilio declararunt, non esse locum primi numismatis assignationi quia, idque maxime dolendum, ex subnotatorum classe in eo ordine constituta, nemo ad praemium digne accesserit; reliqua sociis clarissimis MARCO GALDI et THEO. T. CHAVE esse tribuenda; alteri ob scripta *De duabus « humanistarum » orationibus nuper editis* (N. 2); *Fine orbis appropinquante* (N. 8); *In mortem Ioannis Setti* (N. 11); *De S. Gregorii Nazianzeni epigrammatis ad matrem* (N. 11-12); *De Celaria pago nuper*

aquarum eluvionibus direpto (N. 12); *In Cetariae reliquias* (N. 12); — alteri propter commentationem *De quatuor condicionibus quibus latinae disciplinae perceptio continetur* (N. 6, 8, 9, 10).

Iudicium consilio obtemperantes, dum egregiis viris gratulamur, ad novum certamen iisdem conditionibus quae in superiore anno propositae sunt socios omnes invitamus, sperantes fore ut praemium quod hoc anno, ut supra diximus, addici nequivit, veluti quartum, ob competitorum numerum ac merita, anno MCMXI addere cogamur.

SOCIETAS EDITRIX ROMANA.

De Syllabi Pii Papae X propositione XXXIV.

Modernismi theoria est, prouti in Epistola *Pascendi* Pii PP. X legimus: « Adiectiones a fide factas secernere oportet eosque ad fidem ipsam amandare atque ad historiam fidei; sic quum de Christo agitur, quidquid conditionem hominis superat, sive naturalem, prout a psychologia exhibetur, sive ex loco atque aetate, quibus ille vixit, conflatam. »

Iu huiusmodi theoria fundatur propositio trigesima quarta Syllabi Pii PP. X: « Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite nisi facta hypothesi, quae historice haud concipi potest quaeque sensu morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate». In verbis allatis tria invénimus: a) Negatur scientia infinita Iesu Christi Verbi Dei; b) Afferatur impossibile esse pro historico scientiam hanc concipere; c) Explicari nequit, quare Jesus Christus, si omnia sciebat, in ignorantia multorum, imo in multorum errore, homines reliquerit. Liceat nobis recensitis erroribus necnon errantibus enumeratis, errorem in propositione recensita enuntiatum confutare.

Damnata propositio ex libris Loisy (1) ad litteram desumpta fuit. Verba eiusdem gallice referre libet. « *Il (le critique) ne pourrait lui (à Jésus) attribuer une science sans bornes que dans une hypothèse historiquement inconcevable et déconcertante pour le sens moral, en admettant que le Christ, comme homme, avait la science de Dieu, et qu'il a délibérément abandonné ses disciples et la posterité, à l'ignorance et à l'erreur sur quantité de choses qu'il pouvait révéler sans le moindre inconvenient. Une conjecture déshonorante pour l'homme de*

génie qui en serait l'objet ne se recommande pas à l'historien quand il s'agit du Christ».

Loisy sententiae rationalistae quidam adhaerent dum asserunt, « Christum cultu quovis siye hebraico sive graeco caruisse », vel nihil, Iudaismo excepto, cognovisse. Schola quoque Güntheriana docuit: « Claris Scripturae verbis, quae aliter intelligi nullo modo possunt, aperte contradicit Scholasticorum superabundantia, dum docent, humanitatem Christi iam ab utero matris participem fuisse visionis Dei ». Fuit etiam H. Schell (+ 1905) qui simul scientiam beatam Christi minuit, scientiamque eiusdem infusam negat. Scientiam beatam Christi minuit hisee verbis: « Visio beata Dei atque universi in Deo, per totum vitae terrenae cursum animae Christi tributa, una ex parte sacrae Scripturae testimonis non fundatur; alia ex parte veritatem vitae terrenae Christi de medio tollit. Non visio Dei, sed modulus et fundamentum eiusdem difficultatem ingerunt ». Scientiam vero infusam Christi negat dum scribit: « Scientia infusa (durch angeborene Ideen) Christi animae tribuitur, cum Christum, qui Angelis praeest atque supra Angelos est, ea esse praeditum, sit conveniens. Scientia hac tamen adserita, expositio evangelica vitae Christi, neconon ipsa vita terrena Christi difficulter salvantur, utriusque veritatem deficere necesse est ». (1) Denique Professor Leclair scientiam divinam Christi negavit, scribens: (2) « Hodie a multis admittitur ignorantia, atque error respectu intelligentiae Iesu Christi. Christi scientia quae intellectus ornamentum est, progressui subiecta fuit, cum legatur (Luc. II, 52): Iesus proficiebat sapientia et aetate. (3) — Humanitas Iesu Christi, nullo ornamento privatur, si scientia ei denegetur, Christus siquidem nondum gloriam adeptus est. Propterea Christus vitae mortalis cursu fatetur ignorantiam suam, dum (MARC. XIII, 32) ait: De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater. — Neque alicui fas est hoc in versiculo reticentiam quamdam asserere, vel testimonium per se clarum obscurum reddere ».

Non aliter recens quidam anonymous I. H. concludit: « Dicamus Iesum Christum, prouti homo est, plenam suae dignitatis conscientiam ab initio non habuisse. Quemadmodum Verbum parvi corporis miseriam necnon infirmitatem acceptavit, ita quoque acceptavit statum quasi inconscium animae suae. Si incertum atque anxium modum parvi pueri Verbo tribuere non pudet, cur anxious esse, dum eidem Verbo dubietates animae quae ad vitam surgit gradatimque se evolvit quoadusque ad perfectionis plenitudinem perveniat, tribuimus? Cur, verba Lucae II, 52, tam clara: Et Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines — ad litteram intelligere recusamus ? » (4).

(1) Cf. *Citationes per integrum Feti Theol. Dogm.* v. 3, n. 68.

(2) *Annales d. Philos. Chrét.* Déc. 1904, p. 264.

(3) Cf. *Hebr.* 2, 10.

(4) *Annales de Philos. Chrét.* Janvier 1907, p. 337-363.

**

Pauca *Critica nostra* complectitur. Praeter modum loquendi confusum, emphaticum, oratoris non vero theologi vel philosophi, tum Loisy, tum Schell aliorumque scientiam Iesu Christi negantum, tria animadvertenda sunt: (1)

I.) Nemo inter theologos, prouti Loisy false asseruit, docet Christum prouti homo est, scientiam Dei nullo circumscriptam limite habuisse. Theologi Christo Deo-homini quadruplicem tribuunt scientiam; « una est divina, quae est increata. Alia qua cognoscit res in Verbo, et Verbum ipsum, quae est scientia comprehensoris. Tertia qua cognoscit res in propria natura, quae competit ei secundum quod est homo in solis naturalibus consideratur... » Quarta scientia acquisita quia Christus ut homo « praeditus erat intellectu acutissimo, complectione exquisita, sensibus ad recipiendos species aptissimis. » (2) Scientia igitur beata, infusa et acquisita Christi finitae limitataeque sunt, limitatumque obiectum possident. Obiectum enim scientiae divinae Christi sunt omnes res eo modo quo omnes res sunt obiectum scientiae Dei. Obiectum scientiae beatae Christi sunt res in divina essentia visae uti de beatis asseritar; obiectum scientiae infusae Christi sunt res in seipsis visae non secus ac de angelorum scientiae infusae obiecto doceatur. Obiectum denique scientiae acquisitae Christi sunt res visae in propriis similitudinibus, uti de scientia humana acquisita affirmatur.

II.) Ad historiam pertinet facta historica, prouti in historiae documentis referuntur, examini subiicere atque circa eadem iudicium ferre. Modo in historiae documentis primitivae Ecclesiae invenimus, Iesum Christum, relictis ceteris denominationibus designari titulo « Filii Dei » vel simpliciter « Filii. » Ex. g. I Corinth. 1, 9: « Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii eius Iesu Christi Domini nostri ». II Corinth. I, 19: « Dei enim Filius Iesus Christus, qui in vobis per nos praedicatus est ». Galat. IV, 4: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege ». Rom. VIII, 3: « Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati ». Rom. VIII, 32: « Qui etiam proprio Filio suo non percipit ». Rom. V, 10: « Reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius ». Rom. I, 14: « Evangelium Dei, quod ante promiserat... de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei ». Ex quibus omnibus appetit primitivam Ecclesiam retinuisse Christum non per adoptionem, sed per naturam Filium Dei esse, atque Filiationem Christi divinam praexistentem, prouti a S. Paulo

(1) P. LAGRANGE vocat modum scribendi Loisy *outrée et déclamatoire*; et circa Loisy affirmationem ait: « Telle qu'elles est, cette proposition,,, est inexplicable; jamais les Théologiens n'ont confondu la science humaine du Christ avec la science du Dieu ». Cf. *Revue Biblique*, Oct. 1907, p. 546 in nota.

(2) 3. Dist. 14. 1. 1.; 3. p. 9. 4.

(*Philip.* II, 5-10) affirmatur, fidei christiana articulum fuisse. Quae quidem fides quum non nisi a realitate obiectiva oriri potuerit, sequitur statim, Christum ex historia Deum esse, ideoque ex historia concludere fas est, Christum uti Deum scientia divina infinita, nulloque circumscripta limite praeditum fuisse. (1)

III.) Si historicus ad modum quo Christus in Evangeliiis quae eius historiam constituant, loquitur attendat, mentem eiusdem in admirationem rapi necesse est. Si quidem ad hominis differentiam, Ipse, semper et ubique dum docet, pacifice atque tranquille loquitur (2), neque refutationi, neque discussioni locus datur. Cum bonae voluntatis animabus modo agit regali, suosque adversarios profunda vincit scientia, praeiudicia ac sophismata suaviter elongat omniaque adhibet, quae ad corda atque intelligentias elevanda conducunt.

Circa denique veritates ad religionem pertinentes, scientia supereminens in Christo apparet, easque Ipse cognoscit, quia, uti apud Mattheum XI, 27 legitur: « Patrem quis novit nisi Filius ? »

**

His vero quae Loisy opponit, quare nempe Jesus Christus, respectu multorum nos in ignorantia reliquerit, lepide P. Lagrange (3) respondit, Christum ad hominum salutem procurandam in mundum venisse, ea que sola revelasse, quae ut revelarentur Dei voluntas fuit, non autem venisse ad quaestionem de Pentateuchi authentia solvendam. Neque fas est, propter S. Marci XIII, 32 textum: « De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater » ignorantiam in Christo asserere. Horum siquidem verborum significatio huiusmodi est: a) Determinatio diei illius propria est Patris; b) Manifestatio etiam diei illius Patris non Filii propria est. Christus vero non manifestavit, cum cognitione diei et horae illius ad salutem non ducat. (4)

Fateamur igitur mysterium Iesu Christi, « in quo (Colos. II, 3) sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi ».

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS FEI O. P.

(1) Cf. BATIFFOL, *L'enseignement de Jesus*, vi.

(2) Ipsem Harnack (*Das Wesen d. Christ. 2 Vorles.*) scribit: « Er (Christus) hat nicht gesprochen wie ein Schwärmer und Fanatiker... Er hat seine Predigten gesprochen und in die Welt geschaut mit den frischen und hellen Augen für das grosse und kleine Leben das ihn umgab ».

(3) *Bulletin de Littérature ecclésiastique* I. *Jésus et la critique des Évangiles - La Méthode historique - Appendice - Jésus et la Critique*.

(4) « L'ignorance dans laquelle Jésus laisse à dessein ses disciples a un but moral: parce qu'ils n'en savent ni le jour ni l'heure, ils doivent toujours veiller et prier. Jésus a voulu que tous les hommes fussent mis en face de son avènement... L'attente du jour laissé inconnu, a été le ferment qui a préservé l'humanité de se corrompre: elle a inspiré les dévouements héroïques sans lesquels rien ne se fonde, maintenu l'idéal de justice auquel elle ne peut renoncer sans flétrir et sans mourir ».

Est proprium stultitiae aliorum vitia cernere, obliviousc suorum.

CIC., *Tuscul.*, III, 30.

SACRUM PRAESEPE

CHRISTI NASCENTIS CUNABULA

*Praesepe sacrum, cuius in aspero
Infans quievit Iesulus alveo!*

*Praesepe sacrum, fronte prona
te veneror genibusque flexis.*

*His ergo canis Conditor omnium
est usus, acri stramine consitis!
dum, lapsus astris, Sospitator
limen adit pereuntis orbis.*

*O te probroso stigmate, Bethlehem,
dignam! grabatum quae stabularium*

*Regi parasti, quem decebat
purpureus nitor atque eburnus.*

*At Roma probrum sustulit, auream
largita Capsam, quae rude cingeret
crystallino fulgore Lignum
atque avidis radiare gemmis.*

*Quae surgit Aedes, sacra Deiparae,
in Esquilino colle superbior,
haec, iure raptum Bethlemitis,
nobile promeruit Trophaeum.*

*Huc advolasti tunc, Hieronyme,
quem Bethlehemi cara diutius
sedes bearat: sponte Cunas
aequoreum per iter secutus.*

*Huc, ut December vergit ad exitum,
Urbs tota longo confluit ordine,
visura rursum, saepe visa,
lignea Strata Dei Puelli.*

*Haec civis ardet tangere et advena,
afflita ut olim non medicibili
matrona morbo Vestis oram
attigit, ac valuit repente.⁽¹⁾*

*Haec et Thienes⁽²⁾ Λειψυνη contigit,
Matrisque ab ulnis in sua brachia
allexit Infantem: beatâ,
exsul adhuc, Patriâ potitus.*

*O ruris audi cultor et urbium!
Solemne vestris perset in aedibus
Praesepe Christi, sive larga
seu tenuis fuerit supellex.*

*Cubile Pusus⁽¹⁾ fictilis occupet;
adstetque Virgo Mater et innibus
Iosephus, alatumque caeli
agmen et upilio canorus.*

*Cornutus hinc stet bos, et asellulus
auritus illinc; donaque regia
advecta cernas per Magorum,
quos via longa tenet, camelos.*

*Fac ante Cunas lucida ferveat
lampas; sed imum laetius ardeat
pectus parentum, laetiusque
mens caleat pia filiorum.*

« *Ut nos amavit! - quisque recogit
ut nos amavit maximus optimus
rerum Creator, vis amoris
quem fieri Puerum coëgit!* »

*Praesepe Christi! perge domesticas
ornare cellas; nec tibi frigida
succedat Arbor,⁽²⁾ quam canendo
gens Borealis agit Decembrem.*

FRANC. X. REUSS

(1) Hac voce, unde derivatur *pusillus*, usus est L. Pomponius apud Varonem.

(2) Apud gentes septentrionales, maxime apud aethiopicos, mos invuit, inter festa Christi natalitia, parvam erigendi abiitem, flosculis et facellis ornatam, unde munuscula pendent pueris destinata. Tum cantari solet carmen germanicum in laudem abiets, quae non solum aestivo tempore, sed etiam hiemali vireat. Qui cantus certe frigidior est celebri hymno Alfonsiano: « *Tu scendi dalle stelle, o Re del cielo* ».

DE RE CATHOLICA APUD IAPONIOS

Multorum quondam fuit opinio, Europearum artium inventa invecta quidem esse in Iaponiam, sed Iaponiorum ingenio recepta non esse. Quorum sententia quantum a vero aberraverit, eo declaratum est bello, quod a Iaponiis recens cum Russis gestum est. Illi enim terra marique victores nunquam exstitissent, nisi praeter milites mortem contemnentes permagnam rerum mathematicarum et technicarum cognitionem, atque itinerandi et medicandi exercitationem habuissent. Certe hac aetate ad bellum parandum tam rerum civilium scientia opus est et redditum publicorum et actorum diurnorum et artis medicae, quam bona disciplina exercitus. Praestabant tum Iaponii omnia. Quorum milites vel communis magna utebantur prudentia: instructi enim atque exercitati accesserant imbutique litteris. Neque enim delata tantum sunt in Iaponiam commoda Europaea, sed haec Iaponii studio incredibili moribus accommodaverant suis, qui non solent aliena, ut vident, ad se transferre, sed assumere quae videantur optima, haec propriis admisere.

(1) Matth. ix. 20-22.

(2) Is est S. Cajetanus Thienaeus, qui hoc prodigo recreatus est in ipsa nocte Dominicæ Natalis.

Saepe dicebantur Iaponii multa imitari gentium aliarum instituta, nihil autem excogitare novi nihil proprii. Nihil igitur est proprium et inauditum, quod minus quam annis quinquaginta rem publicam beneficiariam in consultoriam civitatem transmutaverunt? Quid? Iaponiorum res forenses, educandi ars, res vectoria nihil sunt magni? nihil admirabile? Quid? Quae a Iaponis in Corea, quae in Formosa, quae in Manchuria perfecta sunt, nonne admirationem omnium commovent? Et qui in Iaponia litteris operam navant, omnium doctorum consequuntur sententias, ipsi aliquando multum conferent ad explicandas litteras, ut iam contulerunt ad medicinam, ad zoologiam, ad seismologiam.

Sed quâ factum est ut fructibus cultioris vitae perceptis, religionem Christianam, horum fructuum radicem, non acceperint? Hic alii missionariis obiiciunt parum huic parti studuisse aut certe non intellexisse populo Iaponio comprobare, quam sit religio Christiana necessaria. Contra statuunt alii a Iaponiis religionem abesse, aut eam nihil facere Iaponios.

Primum quidem non facile, sed iniucundum est in Iaponia esse missionarium, suspicosa omnium subire iudicia. Neque enim multi illie fructus numerari possunt quum pauci quotannis ad religionem nostram perveniant. Tamen proximo saeculo viri optimi summis licet inclusi difficultatibus, fecerunt multum. Horum tam verbis quam scriptis eo res est addueta, ut Iaponia notionibus Christianis quasi perfusa sit. Populum Iaponium a religione alienum esse dicunt: hec vero longe est aliter. Sunt etiam in Iaponia athei; admodum tamen pauci; sunt, qui quorundam Europaeorum modo in materia reponi velint omnia: horum tamen illie dispergit sententia; neque tam raro convenias, imprimis adolescentulos litteris deditos, qui, quum religionem nomines, iactatis humeris subrideant: sed horum cave ne decipiari specie. Iaponii enim interest plurimum doctum videri, virum temporis viventem. Nunc autem multi hoc sibi persuaserunt: doctiores Europaeos vel Americanos religionem dudum deposuisse; turpe esse nunc virum religiosum esse.

Sed verte modo oculos ad intimum Iaponiorum animum; videbis quam religioni adhaereant. Primum, si de artificibus quaeras et de agricolis, non modo non alieni sunt a religione, sed religiosissime sese exercent: Plena sunt oppida templorum: si quem locum noveris amoeniorem vel ad maris oram, vel in opaca valle, vel in elati montis iugo, certe illie vel templum, vel coenobium, vel sacellum invenies. Ea autem tempula plerumque mundissima sunt et ornata; semper ante ea stare videas, qui deorum flagitant subsidia; non solum mulieres, sed viros, sed doctos. Tabularum votivarum tanta saepe est allata copia, ut in propriis atriis suspensae sint. Mercatores, medici, proceres, qui publice quidem religionem infitantur, inter parietes deos orant,

dis sacra parant, in minutulis quibusdam aris, quas in hortorum angulis abscondunt, diebus feralibus sacerdotes ad se vocant et cum eis sepulchra aspergunt.

Solent aliquando Iaponii poenitentes alta hieme seminudi exire in vicos, frigida perfundi aqua, non abstergi, in templorum vestibulis preces dieere. Matutinas habent preces et vespertinas, soli orienti inclinant caput, plaudunt manibus: stantes aliquamdiu admirantur solis ascensum. Haec omnia quid clamant aliud, nisi religiosos esse Iaponios? Denique tota respublica nonne theocratica est? Regem in magno honore habent. Hunc *thenshi* vocant, id est, caeli filium; hunc solis prolem esse putant; hinc populus iungitur atque robatur, hinc petitus est Iaponiorum amor patriae invictus. « Regem esse colendum, huius praeceptis pietatem habendam esse fidemque »: hoc pueri Iaponii in omnibus scholis imbibunt, a quibus ceterum religionum quarumlibet doctrinae arcentur.

Veniamus nunc ad ephemerides, ad libellos, ad libros. In urbe Iocohama colliguntur tractatus, qui singulis mensibus in principibus Iaponiae ephemeridibus de religione habiti sunt. Simile institutum missionarii catholici administrant. Quos commentarios quum legimus, dubium iam nobis videri non potest, Iaponios nunc acriter de religione quaerere.

Sed tamen magna est adhuc religioni paganae vis. Sensum iam est huic parari bellum: nunc fulera supponuntur, nunc dicunt, quae emendanda sint, quomodo pernicies declinetur ostenditur; multa etiam coenobia pagana reparantur. Sic ante paucos annos instituti cuiusdam Buddhistici rector in Galliam profectus est ut seminaria catholica viseret: qui quum revertisset, Sulpicianorum lineamenta suis alumnis praescripsit. Religio pagana nationi Iaponiae insita est, quum religio Christiana nationi adversa esse multis videatur. Utrane vincet? Hoc nescimus. Religionem Christianam ipsa fulcit veritas, errorum omnium victrix. Ingenti opus est studio, ingenti labore, ut tam verbis quam scriptis populo Iaponio catholicae religionis veritas et pulchritudo proponatur, et ut inveterata evellatur opinio, nationi aut cultiori vitae esse contrariam. Id tamen missionarios catholicos iuvat non mediocriter, quod Iaponii, quid in qualibet re veri sit, severe investigant. Iam nunc doctissimus quisque videt religionem Christianam longe praestare paganae: hi dudum suae religioni res nostras admiscent, ut propriam aliquam Iaponiis religionem proponant: quorum quum elusa erit industria, Christi erit Victoria.

Neque igitur festinandum nunc est: spatium sit populo Iaponio ad deliberandum; sed interea fortius atque uberioris rem suam declarant missionarii: ubi isti rei alicuius intelligent necessitatem, omni studio nitanunt obtinere.
(Ad proximum numerum).

JOANNES WEIGEL

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Frons occipitio prior.

Priscis agricolis celebratum adagium, atque ad instar aenigmatis iactatum: Frons occipitio prior. Quo significavit antiquitas, rectius geri negotium, ubi praesens ac testis adest is cuius agitur negotium. Alioquin quis ignorabat frontem priorem esse capitis partem, occipitum posteriorem? Tametsi haec amphibologia commendat nonnihil dicti gratiam, quod ab antiquitate oraculi ad instar habebatur. Exstat autem apud Catonem (*De re rustica*, cap. IV): « Si bene - inquit - aedificaveris, libentius et saepius venies, fundus melior erit, minusque peccabitur; fructi plus capies; frons occipitio prior ». Plinius item in eandem ferme sententiam (*De hist. mundi*, lib. XVIII, cap. V): « Eum tamen inquit - qui bene habitet, saepius ventitare in agrum, frontemqne domini plus prodesse, quam occipitum non mentiuntur ». Rursus eiusdem libri cap. VI: « Et ideo maiores fertilissimum in agro occultum domini esse dixerunt ». Aristoteles (*Oecon.* lib. I) videtur hanc sententiam ad Persam quempiam referre, subnectens alteram huic similem, quae a Libe quodam sit profecta, utraque vero significans domini praesentiam plurimum habere momenti ad rem bene gerendam. Item Columella putat rem malam esse frequentem fundi locationem, peiorem tamen urbanum colonum qui per familiam mavult agrum quam per se colere. Huc pertinet illud, quod refertur a Gellio, quod cum quidam corpulentus ac nitidus equum haberet macilentum ac strigosum, rogatus quid esset in causa, respondit: Mirum non debet videri, si equo suo esset habitior, quandoquidem ipse se pasceret, equum curaret servus. — Plutarchus in commentario *De liberis educandis* habet: « Hinc et illud eleganter dictum ab equisone, nihil perinde saginare equum ut regis oculum ». Eodem pertinet, quod perquam venuste dixit T. Livius, non satis feliciter solere procedere, quae oculis agas alienis. Inuit tale quiddam et Terentius in *Eun.*, quum ait: « Ita, ut fit, domini ubi absunt », significans absentibus heris ministros omnia facere indiligentius et peccare licentius: nempe haec omnia eo tendunt, ut quisque suum negotium praesens curet, neque magnopere fidat alienae industriae.

A capite ad calcem.

Quum rem totam significamus, a capite ad calcem dicimus. Cuius adagii triplex potest esse usus; aut enim ad corpus refertur, aut ad animum, aut

ad res; qui duo posteriores sensus plus obtinent venustatis, nimirum quo plus habent figurae. Ad corpus, adhibuit Homerus in *Iliade*, Theocritus in *Bucolico*, Plautus in *Epidico*, ipseque Horatius. M. Tullius *pro Roscio comoedo*: « Nonne - inquit - ipsum caput et supercilia illa penitus abrasa, olere malitiam, clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum, si coniecturam adfert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallaciis, mendaciis, totus conflare videtur? »

Ad res, Aristophanes in *Pluto*: « Ergo audi, quando totum ego negotium a pedibus usque ad caput tibi percenseo ». Quamquam hic comicus ioci causa praepostere posuit pedes et caput.

Ad animum hoc pacto poterit transferri: Ego tibi mores et ingenium illius, breviter, hominem quantum est a summo, ut aiunt, capillo ad imum usque calcaneum depingam. — Quamquam exemplum M. Tullii, quod modo retulimus, magis ad animum quam ad corpus videtur pertinere. Quin etiam dividitur adagium, quum caput negotii vocamus praeципuum auctorem, perinde ut et fortem dicimus.

In trivio esse.

In trivio esse (scil. consilii) de iis dicimus qui dubitant quique incerti sunt animi, haesitantes quid potissimum eligant. — Translatum ab illis qui faciunt iter, et si quando trivium occurrit, addubitant quam viam ingredi oporteat. Nam viam pro ratione consilii frequenter apud Graecos auctores reperies. Ita e. g. apud Euripidem (in *Hecuba*) et Teognidem. Adludit hic et Plato (*De legibus*, VII) vetans ne si qua res admiranda atque inusitata occurriterit, protinus ad eam amplectendam accurramus, sed perinde quasi ad trivium aliquod vennerimus, ignari viae consistamus, neque ante pergamus, quam pervestigatum sit quo quaeque ducat via.

Cum larvis luctari.

Cum larvis luctari ii dicuntur, qui vita defunctos insectantur maledictis. Ita apud Aristophanem (cit. a Suida) et apud Lucianum in *Sectis*. Sentit vero de mortuis et absentibus. Meminit huius Plinius in praefatione *Hist. mundi*, ad hunc modum: « Nec Plancus illepede, qui quum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare, quae ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset: Cum mortuis nonnisi laryvas luctari. Quo dicto sic repercussit illos, ut apud eruditos nihil impudentius videretur ». — Asistoteles (in *Rhetor.*) ci-

tat Platonem ex Politia, qui scripserit eos, qui mortuos adlatrarent, videri similes catellis, qui lapides iactos morderent; ipsos, qui laesissent, non attingerent.

Mature senex.

« Mature fias senex, si diu velis esse senex ». Latinorum proverbium est, quo monemur, ut integra adhuc aetate a laboribus iuvenilibus desistamus, ac valetudinis curam agere incipiamus, si vivaci ac diuturna senecta esse velimus. Nam senectutis sors, otium et quies. — Usurpatur a Catone maiore apud Ciceronem: « Neque enim - inquit - unquam assensus sum veteri illi laudatoque proverbio, quod monet mature fieri senem, si diu senex esse velis ». Hoc quamquam Catoni non probatur, homini duro, quique sibi nec extrema senecta remittendis laboribus indulserit, tamen audiendum nobis, maxime si de vitiis iuventae sentias; quae nisi quis mature reliquerit, aut nunquam ad senectam perveniet, aut brevem habiturus est senectam.

FORFEX.

QUAESTIONES PHILOLOGICAE

Forma grammatica actionis praeteritae perfectae linguarum recentium cum latina comparata.

Quaestiones eiusmodi, ut ea quam pertractare hodie aggredimur, ideo etiam mihi, quae solvantur, dignae videntur, quod linguas, quae ediscuntur, memoriae dissentium facilius et firmius imprimere possunt. Quis enim dubitat, quin res ratione perscrutatae animo facilius et firmius adhaereant, quam quae nonnisi memoriae inculcantur? Id evidentissime doctrinae mathematicae studio probatur, in quo memoriae opera paene ad nihilum redigitur. Quin etiam hoc est animadvertisendum, perceptione rationali quamecumque doctrinam et scientiam dissentibus non solum utiliorem sed iucundiorum quoque reddi.

Quis autem ignorat, quantopere studiorum utilitas iucunditatis auxilio, augeatur? Quae iucunditas utilitatem augens inter alia summopere ibi emergere potest, ubi praeter linguas recentes etiam latina discipuli imbuuntur. Cur igitur lingua latina non ferat opem, quam reapse potest, studiis linguarum, quae ei, quasi fonti varia proprietate sunt obligatae? Qua de causa de una istiusmodi proprietate maxime perspicua nunc edisse rere statui. Proprietas autem haec attinet ad formam verbalem, qua « actio praeterita perfecta » in multis linguis recentibus terminatur. Aspiciamus exempli gratia

formam illam compositam linguae germanicae *Ich habe geschrieben*, aut francogallicam *j'ai écrit*, ubi lingua latina forma simplici *scripti* rem absolvit; quam formam simplicem etiam in linguis slavicis reperimus, ut Polonorum *napisatem* aut Russorum (*ja*) *napisat*.

Unde igitur haec varietas emanavit? quaenam varietatis est causa? quo modo factum est, ut in una lingua forma simplex idem significet, quod forma composita in altera?

Quanta laus hinc immortalis, quanta potentia invicta, quam exulta abundantia morphologica linguae latinae in hac re conspici potest! Satis enim est formas illas compositas ad verbum in linguam latinam vertere, ut praestantiam eius intelligamus. Quid enim accipiemus? *J'ai écrit* et *ich habe geschrieben* utrumque sonat latinum *habeo scriptum (am-um)*. Quis autem linguae latinae perfectius gnarus ignorat Romanos actionem praeteritam perfectam, non solum verbi forma simplici, sed etiam composita exprimere consuesse? Nonne idem est Ciceronis « iam rem *compertam habeo* » atque « iam rem *comperi* »? Nonne idem etiam hodie discipulus polonus dicere vult, quem gavisus exclamat: *Ha! nareszcie juz zadanie « mam napisane »* (Eia! tandem iam pensum *scriptum habeo*), quam si exscelamaret: *Ha! nareszcie juz zadanie « napisatem »* (Eia! tandem iam pensum *scripti*); id quod Germanus aut Gallus una tantum forma composita exprimere potest: *ei! endlich « habe » ich schon meine arbeit « geschrieben » ; voilà enfin « j'ai écrit » mon thème*.

Romana igitur lingua et eae, quae, ut polona, eam plenius adamant et, quum ad instar eius verbales formas suas elaborarent, imitatae sunt, utraque forma « perfecta », cum simplici, tum composita utuntur; qua re, ut ipsa magistra earum lingua latina, ditiores et non solum logica sed etiam grammatica ex parte perfectiores sunt, quam eae, quae illam solum compositam, logicam quidem, sed non satis striete accommodatam formam elaborarunt et adhibent, nam *geschrieben* et *écrivent*, quamquam sunt « participia », cum genere et numero grammatico substantiysi obiectivi non congruunt; participium autem eius formae compositae in lingua latina atque iis, quae eam fide sunt secutae, declinabile est (*habeo iam librum scriptum*, — *epistolam scriptam*, — *opus scriptum*, — *mam iuz Ksiaze, napisana*, — *list napisany*, — *dzielo napisane*).

Iis, quae dixi, satis mihi lucide demonstrasse videor, unde formarum verbalium, quae ad « actionem praeteritam perfectam » exprimendam in lingua latina et recentibus adhibentur, varietas emanaverit et quae sit accommodandi eas formas diversitas grammatica.

Varsaviae Polonorum.

JOSEPHUS WABNER.

Proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est.

PLAUT, in Poen.

S. PETRI PRIMATUS ET PRAEROGATIVAE

EX ARCHAEOLOGIAE TESTIMONIIS

(Cfr. an. XII, num. XI)

IV.

Petrus a fidelibus adorandus.

Ne cui mirum videatur nos de Petro a fidelibus « adorando » loqui; sensu enim verbum « adorari » eodem volumus intelligi quo, apud Orientales, reges ac proceres venerabantur subditi, et quo saepe in ipsa Scriptura sacra usurpatum invenitur.

Plus semel ab antiquitatis Christianae peritis notatum est, tum viros qui ad prodigiosum e rupe a Petro percussa scaturientem fontem sitim expleturi veniunt, tum eos qui Petrum ipsum deprehendunt et ad carcere vel martyrium rapiunt, eodem esse modo vestitos; tunicam nempe succinetam, bracas, caligas et chlamydem gerere, atque saepe pileum; raro vero ensem vel baculum. Milites igitur esse videntur tam illi qui apostolum vexant, quam qui eius beneficio ac miraculo fruuntur, idque certissimum eo patet quod, in sarcophagorum anaglyptis et in nonnullis aliis monumentis, milites qui Christum abducunt, vestimentum simile plerumque gestent (1). Item et qui in quodam arcus Constantini, Romae iuxta amphitheatrum Flavium, anaglypto, triumphalem sequuntur pompam, armis insignibusque, non secus ac ceteri Romani milites, muniti sunt. Hos haud immerito milites legionis Palestinensis egregius A. Monaco (2) vocavit, atque ideo prorsus differunt a Iudeis mare Rubrum transeuntibus aut aliis Mosaicis miraculis adstantibus, prout in ipsis, sive marmoreis, sive ligneis anaglyptis, repraesentantur. In his enim Iudei nunquam chlamydem, sed plerumque paenulam portant, quae apud Romanos vestis erat viatoria, aut aliud super tunica palliolum pastorum venatorumque proprium (3). Haec sane differentia, dum ex una parte novam facessit interpretari volentibus difficultatem, Moysis personam saltem omnino excludit, ac Petri personam ibi esse plane confirmat.

Porro, aliquando, ut in quodam apud Cahors sarcophago invento, et in Arelatensi altero (4), dum Petrus aquam manantem commonstrat, vir cernitur quidam ad eius pedes provolutus, eodem prorsus modo quo fideles ac defuncti ad Christi pedes venerabundi prostrati conspicuntur. Quod autem ita provoluti iidem sint qui biberint, ac summo illo beneficio gavisi sint;

(1) GARRUCCI, V, 322 n. 2; 316 n. 1.

(2) N. *Bullettino di arch. crist.*, 1907, pp. 55-61.

(3) GARRUCCI, V, 308, n. 1-5; 309, n. 1-4; 366 n. 2.

(4) GARRUCCI, V, 380, n. 2-3.

id evidenter patet quodam saeculi secundi aut tertii Lateranensi sarcophago, in quo, tres ad fontes viri bibentes cernuntur, qui postea, Petri deprehensi ad pedes sunt prostrati, perinde quasi ne ille auferretur, impeditare vellent, illumque adorarent. (Tab. I).

Scena haec quamdam nuper prolata omnino excludit sententiam qua Petrus, in aliis eiusmodi argumentis, haud quidem deprehensus a militibus, sed ab istis interrogatus ac negans se Christum cognovisse effictus esset. Verumtamen egregius Becker, cuins est haec sententia (1), haud novi quiequam protulit, sed errorem Aringhi e cineribus revocavit, qui ita hoc descriptis argumentum: « Petrus ad ignem se calefaciens a Praetorii militibus an Christum nosset interrogatus, et a quodam huius rei causa velut delicti conscius, iamiam alligandus deserbitur » (2).

V.

Petri cathedra et virga.

Argumenta quae supra recensita sunt aliam sibi vin-



T a b . I.

dicant significationem, nempe quatenus cathedrae cogitationi aliquando coniuncta sunt, scilicet ipsius Beati Petri cathedram veluti legis divinaeque doctrinae ac potestatis fontem exstare. Nota sunt S. Cypriani de Petri cathedra verba quae in eius *De unitate Ecclesiae* tractatu leguntur, nempe: « Qui cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit? »; et in eius quinquagesima quinta epistula: « ... ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est ».

Quaedam saeculi quarti metrica inscriptio ad baptisterium basilicae Vaticanae adposita hunc versum fe-rebat:

VNA PETRI SEDES VNVM VERVMQUE LAVACRVM.

Iam supra animadvertisimus, vel in coemeteriis ubi rite creditur Petrus ministerio apostolico functus, sedis ac fontis memorias exstisset. Haud aliter Patres loquuntur, licet fontis cogitatio non semper eodem intelligatur sensu. Sic Optatus Milevitanus: « Fontem,

(1) ERICH BECKER doct. phil., *Das Quellwunder des Moses in der altchristlichen Kunst*. Strassburg, Hertz, ed. 1909.

(2) ARINGHI, *Roma subterranea*, t. posterior, p. 398. — Becker sententiam apte clarissimus Maruechi refutavit. (Cfr. N. *Bullettino di arch. crist.*, 1910, p.p. 182-183).

- ait, - unam esse de dotibus, unde haeretici non possunt vel ipsi bibere vel alios potare, quia soli sigillum integrum, id est symbolum catholicum non habentes,



Tab. II.

commentarium, in quo rupi, iam percussae ac fontem mananti, cathedra applicata est. (Tab. II) Nec inutile animadvertere videtur, in sarcophagorum anaglyptis, quae ceteris generatim anaglyptis antiquiora sunt, praeter Christum et apostolorum collegium, Heroden ac Nabuchodonosor, ut reges, Caipham, Pilatum, Danielem, ut iudices, Mariam ut Salvatoris matrem, Petrum ita solummodo sedentem in throno seu cathedra exhiberi, dum Christus ei pedes lavaturus adest. (Tab. III).

Sed et virgae cogitatio his argumentis natura coniuncta est, quum, non solum dum, Moysis instar, petram percutit, virga praeditus est Petrus; verum etiam dum a Iudeis deprehenditur et (quod prorsus incredibile videtur) dum Christus triplicem ei praedicit aut improbat negationem. Tunc enim Petrus aut doloris elicit actum, dexteram ad mentum ferens (3); aut videatur, post negationem, se praedictionis recordari, indicem ad nasum aut ad mentum applicans; (4) in ipsa tamen hac apostoli infirmitate, eius appetit principis ac magistri dignitas; idque vel clarius patebit si animadversum fuerit, post hanc representationem statim plerumque Petri persecutionem patientis argumentum sequi, ac denique ipsum etiam Petrum aquam e rupe experimentem apparere (5). Profecto haec omnia Augustini quaedam in mentem revocant verba, quibus hunc

(1) Opt. MIL., *De schismate Donat.*, II, 9.

(2) *Collect. epist. rom. pont.*, ed. CONSTANTII, p. 866.

(3) Verum quidem est semel vel Paulum in coemeterio Domitillae sedentem apparere, sed tunc simul cum Petro; at Petrus solus sine Paulo pluries sedens appetit, atque insuper in quadam pyxide eburnea, dum sedet baculum fert velut auctoritatis signum.

(4) Sunt qui hunc gestum verba illa: «Etiamsi oportuerit mori tecum non te negabo» innuere arbitrentur.

(5) Cfr. tabulam II in commentarii nostri pag. 168 superioris anni relatam.

fontem verum aperire non possunt»; de fonte autem ac simul de aliis dotibus concludit: «Ea esse in Ecclesia *per cathedram Petri* quae nostra est (1).» Et Innocentius I, ad Africanos episcopos scribens, cathedram Petri «natalem fontem vocat, unde aquae cunctae procedunt, et per diversas totius mundi regiones purilatrices capitum incorrupti manant (2).» Quae quidem verba cuiusdam videntur vitrei monumenti

septuagesimi septimi psalmi explicavit versiculum. «... Qui disrupt in deserto petram, et adaquavit eos sicut in abysso multa, et eduxit aquam de petra». En magni doctoris commentarium: «Potest utique sicut fidei donum Spiritus Sancti, quod illa res gesta spiritualiter significabat, infundere de spirituali sequente petra, quod est Christus, qui stabat, et clamabat: *Si quis sit, veniat ad me, et qui biberit de aqua, quam ego dabo, flumin aquae vivae fluent de ventre eius.* Hoc enim dicebat, sicut in evangelio legitur, de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; ad quem vellut virga lignum passionis accessit ut emanaret credentibus gratia» (1).

Sed magis adhuc perspicue explicateque Petrum Moysi sanetus Doctor assimilat; neque id solummodo de rupe agens ac de virga, verum etiam de dubitatione deque triplici negatione, atque insuper in ipsa Moysis punitione eiusque in Monte dormitione, Petri lapsus et exaltationis figuram Augustinus discernit: «Video enim dicit, - et post illam dubitationem, et post iram Dei, et post minas mortis, et post remotionem ab introductione populi in terram promissionis, multa Deum sic dicere ad Moysen, tamquam ad amicum, quomodo et antea loquebatur: usque adeo ut ipsi Iesu novae obedientiae exemplum de Moyse proponatur, et hoc eum moneat Deus ut sic ei serviat, quomodo servivit Moyses: et sic se pollicetur cum eo futurum, quomodo cum Moyse. Evidenter, carissimi, constringit nos ipse Deus, non passim deprehendere sed intelligere dubitationem Moysis. Figura petra iacens, figura virga percutiens, figura aqua fluens, figura et Moyses dubitans. Et ibi dubitavit ubi percussit. Hinc facta est dubitatio Moysis quando lignum accessit ad petram. Iam velocius praevolant (intelligentes), imo tardos patienter expectent. Dubitavit Moyses quando lignum accessit ad petram: dubitaverunt discipuli quando viderunt Dominum crucifixum.



Tab. III.

Horum figuram gerebat Moyses. *Figura erat Petri illius ter negantis. Quare Petrus dubitavit? Quia lignum petrae propinquavit. Cum mortis suae genus, id est, crucem*

(1) S. AUG., *In psalm. LXXVII, n. XIII.*

ipsam prænuntiaret Dominus, ipse Petrus expavit: « Absit a te, Domine, non erit hoc ». (MATTH., XVI, 22). Dubitas, quia petrae imminere virgam vides » (1). Ac paulo post: « Iam ergo illa dubitatio, quae nata erat ad petram, in monte moriatur. Agnoscent discipuli salutem suam, revocent spem suam. Attende quemadmodum moriatur illa dubitatio, attende quemadmodum moriatur Moyses in monte. Non intret in terram promissionis: nolumus ibi dubitationem; moriatur, ostendat nobis eam Christus mori. Trepidavit Petrus, et negavit ter. Petra enim erat Christus. Resurrexit, mons factus est, firmavit et Petrum. Sed moritur dubitatio. Quomodo moritur? Petre amas me? (IOANN. XXI, 15). Cordis inspcitor, cordis cognitor interrogat; et vult audire quod ametur, et parum est semel. Inte: rogat hoc, audit prope cum taedio ipsius Petri: miratur enim interrogari se a praescio, sed etiam totiens interrogari, cum semel sufficeret respondere etiam nescienti.

Sed tamquam tibi diceret Dominus: Expecto, numerus legitimus impleatur; tertio confiteatur per amorem,



Tab. IV.

qui ter negaverat per timorem. Quod ergo Dominus totiens interrogabat, dubitationem illam in monte occidebat (2).

Cathedra igitur, quae dignitatem ac potestatem significat, neconon virga, qua, praeter Christum, Moyses ac Petrus uti rectores ac duces solummodo praediti sunt, satis ostendunt quid de Petri auctoritate prisci Christiani cogitaverint: re vera enim novus Moyses, novus populi Dei dux, legislator et caput Petrus habitus est.

VI.

Petrus Legis custos ac caelorum claviger.

Ut notum est, Christus, apud Lucam (3), futuram praedixit apostolorum in communi tentationem circa fidem: « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: »; deinde affirmavit Petro se speciali modo orasse pro eo, ne fides eius deficeret: « Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ». Denique subiunxit: « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos ». Ultima haec verba priorum verbo-

rum gratia prolata sunt; nam ideo poterit Petrus fratres suos in fide confirmare, quatenus eius fides numquam deficiet. Neque fides hic solummodo intelligenda est velut propria apostoli fides, sed ut ipsius legis divinae certa atque sine errore cognitio, unde ipsa lex quasi e sernio ubi deposita fuerit depromi pro opportunitate possit atque ad ceteros confirmandos declarari.

Porro, fidei hoc depositum, e quo depromere summi Pontifices dicuntur quoties aliquid *ex cathedra* seu modo infallibili pronuntiant, eloquentissime in primaevis monumentis adumbratum est; immo eo modo qui perfecte Petri personae congrueret, utpote Moysis personae assimilatae. Moyses enim legem a Domino in monte Sina accepit: Petrus, cuius Moyses figura fuit, a Christo stante in monte, vel in throno sedente, legis divinae volumen accipiet. (Tab. IV). Ne autem de natura voluminis traditi Petro dubitaretur, artifices aliquando, ipso in volumine explicato, scripserunt:

DOMINUS LEGEM DAT (1).

Ravennae autem, prima saeculi quinti parte, iussu episcopi Neonis, duae depictae sunt tabulae, quarum altera Petri ad convertendas gentes vocationem, altera Petrum, inter apostolos, legem e caelo recipientem exhibebat. His haec erat subscripta inscriptio :

*Euge, Simon Petre, commissum tibi suscipe munus...
Bissenos inte: fratres in principe sistis
Qui(s) fera corda domas hominum, qui(s) pectora mulces
Christicolasque doces (unum) omnes esse per orbem (2).*

(1) Id praesertim in musivis operibus et in pateris fundisque cuprum reperitur. — Cf. GARRUCCI, I, p. 395. Cum vero legis traditio Paulo praesente plerunque sit adumbrata, ipsique Paulo quandoque, adstante Petro iam regno caelorum claves retinente, Christus volumen involutum porrigit, hinc sine dubio error exortus est ille, ut scilicet Petrum ac Paulum scripta de arte magica dissenserent a Christo revera receperisse quiddam saeculo quarto et quinto crederent. Id quidem S. Augustinus iam ex parte notaverat, cuis verba pulchramque erroris huius refutacionem praestat referri: « 15 Quid quod etiam divino iudicio sic errant quidam eorum, qui talia Christum scripsisse vel credunt vel credi volunt, ut eosdem libros ad Petrum et Paulum dicant; famquam epistolari titulo praenotatos. Et fieri potest, ut sive inimici nominis Christi, sive qui eiusmodi execrabilibus artibus de tam gloriose nomine pondus auctoritatis dare se posse putaverunt, talia sub Christi et Apostolorum nomine scripserint: in qua fallacissima audacia sic excaecati sunt, ut etiam a pueris, qui adhuc pueriliter in gradu Lectorum Christianas litteras norunt, merito rideantur ».

« 16. Cum enim vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur; tamquam ad illos qui ei familiariter adhaesissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur; et occurrit eis Petrus et Paulus, credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent; quia merita Petri et Pauli etiam propter eundem passionis diem celebris solemniter Roma commendat. Sic omnino errare meruerunt, qui Christum et apostolos eius non in sanctis codicibus sed in pictis parietibus quaesierunt; nec mirum si a pingentibus fingentes decepti sunt. Toto enim tempore, quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus eius, quem post passionem suam, post resurrectionem, post ascensionem, post missum de caelo Spiritum Sanctum, post multorum Iudeorum conversionem et mirabilem fidem, post lapidationem Stephanii diaconi et martyris, cum adhuc Saulus appellaretur, et eos qui in Christum crediderant graviter persequeretur, de caelo vocavit, et suum discipulum atque apostolum fecit. (Act. ix, 4). Quomodo igitur potuit libros, quos antequam moreretur, eum scripsisse putari volunt, ad discipulos, tamquam familiarissimos, Petrum et Paulum scribere, cum Paulus nondum fuerit discipulus eius? (S. AUG., *De consensu Evangelistarum*, lib. I, c. x) ».

(2) *Monumenta Germ. hist., Script. rer. lang. et Ital.*, p. 293.

(1) S. AUG., *Sermones*, IV series, CCCLII, 4.

(2) S. Aug. I, c. 5.

(3) LUC., XXII, 31.

In quodam aliunde, anno praeterito, Romae, apud basilicam S. Sebastiani, invento sarcophago, Petri lapsum, necnon poenitentia et ad summum munus erectio uno simul argumento efficta sunt. Adest enim Christus, qui dexteræ tres extendit digitos ad triplicem significandam apostoli negationem, sinistra vero volumen ante Petrum porrigit. Hic autem dum dextera manu se Christi praedictionis meminisse indicat, ad volumen sinistra accipiendum se parat (Tab. V). Ceterum hac



Tab. V.

eorum argumentorum coniunctione nil communius apud Patres, qui nunquam de Petri loquuntur primatu quin simul eius peccati ac poenitentiae mentionem ad fideles erudiendos faciant: « Ter negavit Petrus, princeps discipulorum », ait quidam saeculi quarti auctor anonymous; ac Scripturae verba: « Iustus sui ipsius accusator est in principio sermonis » commentans, S. Ioannes Chrysostomus inter alia haec habet: « Petrus, post gravem illam negationem, quoniam celeriter suum ipsius peccatum recordatus est flevitque amare, sic abluit illam abnegationem, ut etiam primus apostolorum fuerit » (1); et S. Augustinus: « Passionem eius, crucem

(1) S. IO. CHRYS., *Adversus Iudeos*, VIII.(2) *Serm. ad populum*, ccxcix, n. 7.

eius praenuntiavit ei (Petro) ipse Dominus Christus, sed iam amanti non neganti... Ergo, in illa negatione praedita ostendit Dominus Petro Christum: *Amas me*, inquit? *Amo. Pasce oves meas*. (2) Et ista quidem sufficiant; nam si omnia velim testimonia huiuscmodi colligere, facile integrum volumen conficiam.

Notamus denique in his representationibus Petrum plerumque, perinde ac si vexillarius Dei regni esset, crucem ferentem apparere saepe margaritis exornatam, et aliquando in speciem Christi monogrammatis effictam.

Iam vero, aliud est quo Petrus insignis apud priscorum saeculorum fideles potissimum est habitus et ceteris apostolis superior. Tunc enim saepissime clavum regni caelorum collationem Petro uni factam esse commemoratur et praedicatur; proinde omnino aë rem verberant haeretici, quum contendunt clavum potestatem Ecclesiae universae, seu et ceteris apostolis, aequa atque Petro, competere primitus reputatum fuisse: monumenta contrarium constanter exhibent, ac Petrus unus tanto privilegio tantaque potestate praeditus in his deprehenditur.

« Sed, - dixerunt quidam, - Petrus minime singulare munus accepisse est putandus, eo quod a Christo petra dictus fuerit eique claves regni caelorum sint commissae; nam respondit unus pro omnibus, qui praesentes erant, promissiones clavum accepit. »

Verum enim vero monumenta omnis generis, quae clavum traditionem referunt, plerumque Petrum solum cum Christo repreäsentant, aut, ut summum, unam et alteram personam, praesertim Paulum, qui tamen praesens minime erat quando claves promissae sunt. Itaque, si artifices, qui ita sensibili ac materiali modo Christum stantem promissis adumbraverunt, aliquid velut omnibus apostolis commune claves illas esse cogitassent, aliter certe, et saltem apostolis omnibus adstantibus, rem effinxissent. Petrus, igitur, et ipse solus, clavum potestatem vulgo recepisse putabatur, neque ulla est ratio cur de hac clavum traditione aliter saltem intelligatur, quam de illa, de qua apud Isaiam legitur: « Et dabo clavem domus David super humerum eius (nempe Eliacim): et aperiet et non erit qui claudat; et claudet et non erit qui aperiat. » (1) Ceterum notum est in Apocalypsi clavum symbolo supremam Christi designari potestatem: « Haec dicit sanctus et verus qui habet clavem David ». (2)

(Continuabitur).

(1) ISA., XXII, 22.

(2) APOC., III, 7.

P. XYXTUS SCAGLIA O. C. R.

Turpe est aliud loqui, aliud sentire; quanto turpius aliud scribere, aliud sentire!

SENEC., Ep., XXIV, 18.

Non solum fortuna coeca est, sed eos etiam efficit coecos, quos complexa est.

CIC., *De am.*, XV, 54.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Declarationes circa iusurandum a Motu Proprio « Sacrorum Antistitum » (1) praescriptum.

I. Utrum qui, in praesenti, plura obtinent officia vel beneficia, unum dumtaxat iusurandum praestare possint, an tot iuramenta emittere teneantur quot possident officia vel beneficia. — *R.* Sufficit unum iusurandum, sed de eodem prius praestito fides exhibenda est ei, qui ius habet aliud exigendi iuramentum.

II. Coram quo Moderatores generales Ordinum aut Congregationum Religiosarum praestare debeant eiusmodi iusurandum. — *R.* Moderatores generales, qui actu Ordini, vel Congregationi vel Instituto praesunt, coram Patribus sui Definitorii, sive Assistantibus sive Consiliariis generalibus; Moderatores autem generales, qui in posterum eligentur, coram Praeside capituli generali.

III. An Vicarius generalis delegari possit ab Episcopo, generali modo, ad iusurandum excipiendum. — *R.* Affirmative, postquam ipse in manibus Episcopi iusurandum praestiterit.

IV. Utrum iuramenti formula, pluribus simul convenientibus, ab omnibus singillatim legenda sit, an vero sufficiat ut ab aliquo ex eis recitetur. — *R.* Sufficit ut, formula iuramenti ab uno recitata, a ceteris singulis, iurecurando emisso, formula ipsa subscribatur.

V. An quotannis teneantur renovare iusurandum vicarii parochiales, confessarii et sacris concessionatores, quibus facultas singulis annis prorogatur. — *R.* Negative.

VI. Utrum parochi, in locis a residentia Episcopi dissitis, teneantur emittere iuramentum coram Vicariis foraneis, an sufficiat ut ad Episcopum remittant iuris iurandi formulam ab ipsis subsignatam. — *R.* Pro hac prima vice sufficere ut memorati parochi subsignent iuramenti formulam iuxta indultum diei 25 Septembri 1910; in posterum vero parochos teneri ad iuramentum praestandum coram eo a quo beneficii possessionem obtinebunt.

VII. An novi beneficiarii debeant subscribere formulam tum professionis fidei, tum iurisiurandi. — *R.* Quoad professionem fidei, nihil innovandum; quoad iuramentum, servandam dispositionem Motus Proprietii *Sacrorum Antistitum*.

(Ex deer. d. xxv mens. Octobr. MCMX).

Decretum de administratione temporali clericis vetita.

Docente Apostolo Paulo, *nemo militans Deo implcat se negotiis saecularibus* (II Tim., II, 4), constans Ecclesiae disciplina et sacra lex haec semper est habita, ne clerici profana negotia gerenda susciperent, nisi in quibusdam peculiaribus et extraordinariis adiunctis et ex legitima venia. « Cum enim a saeculi rebus in altiorum sublati locum conspiciantur », ut habet SS. Tridentinum Concilium *Sess. xxii, cap. I de ref.*, oportet

ut diligentissime servent inter alia quae « de saecularibus negotiis fugiendis copiose et salubriter sancita fuerunt ».

Quum vero nostris diebus quamplurima, Deo favente, in Christiana republica instituta sint opera in tempore fidelium auxilium, in primisque arcae nummariae, mensae argentariae, rurales, parsimoniales, haec quidem opera probanda sunt clero, ab eoque fovenda; non ita tamen ut ipsum a suae conditionis ac dignitatis officiis abducant, terrenis negotiationibus implicant, sollicitudinibus, studiis, periculis, quae his rebus semper inhaerent, obnoxium faciant.

Quapropter SSmus. Dominus Noster Pius PP. X, dum hortatur quidem praecipitque ut cleris in hisce institutis condendis, tuendis augendisque operam et consilium impendat, praesenti decreto prohibet omnino sacri ordinis viri, sive saeculares sive regulares, munia illa exerceenda suscipiant retineantve suscepta, quae administrationis euras, obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii, horumque similia. Statuit itaque ac decernit SSmus. Dominus Noster, ut clericis omnes quicumque in praesens his in munibibus versantur, infra quatuor menses ab hoc edito decreto, nuntium illis mittant, utque in posterum nemo e clerico quodvis id genus munus suscipere atque exercere queat, nisi ante ab Apostolica Sede peculiarem ad id licentiam sit consequutus. Contrariis non obstantibus quibuslibet. (Dat. die XVIII mens. Novembr. MCMX).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Decembri MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites alias viros, qui sui quisque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Exemus. vir Thun Hohenstein Princeps, Militaris Ordinis Melitensis Magister Maximus; Henricus Le Floch, Pontificii Gallici Seminarii rector, cum doctoribus et alumnis; P. Bertolotti, post mortem Praepositi Generalis Emmanuelis Sanchez, Congregationis Clericorum Regularium Scholarum Piarum rector; Augustinus Zampini ex Ord. Erem. S. Augustini, in Pontificia Domo Sacrorum praefectus nuper electus; Antonia Chigi-Albani, Urbana Princeps foemina; Robertus Fraser, Scotorum Urbani collegii rector cum suis alumnis; Thomas Kennedy, episcopus Adrianopolitanus, rector Urbani collegii Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis cum alumnis pariter suis; Bovhovic doctor, Illyricorum Urbani collegii rector; Philippus Crispolti marchio, qui recenti Catholicorum ex omni Italia conventui Mutini habito praefuit; Schonberg-Roth-Schonberg dynasta, eiusque uxor; Hoffmann dynasta; De Leiningen, Comes; De Bardi e regali genere Comitissa; Sacer Purpuratorum Senatus, Legati omnes exterarum nationum, Pontificiaeque Domus antistites et aulici omina in novum annum SSmo. offerentes.

Pontificiae electiones.

Nominationes episcoporum. — SSmus. D. N. Pius PP. X, decretis S. C. Consistorialis, elegit: r. p. d. Vincentium

(1) Cfr. *Vox Urbis*, an. XIII, n. x et seqq.

Pisani, iam episcopum Anglonen. et Tursien., in Administratorem Apost. eiusdem dioecesis; r. p. d. Adulphum Turchi, episcopum Caiacensem, in Administratorem Apostolicum Aversanae dioecesis; r. d. Eduardum Brettoni, presbyterum archidioeceseos Florentinae, in episcopum cathedralis ecclesiae Regiensis; r. d. Maximilianum Crespo, presbyterum archidioecesis Popayanensis, in episcopum cathedralis ecclesiae Antioquensis in republica Columbiana; r. d. Franciscum Christophorum Toro, presbyterum dioecesis Antioquensis, in episcopum cathedralis ecclesiae de Socorro; r. p. d. Ioachimum Antonium d'Almeida, episcopum Piauhensem, in episcopum cathedralis ecclesiae Natalensis in Brasilia; r. p. d. Ioannem Bedam Cardinale, archiepiscopum titularis ecclesiae Laodicenae, in archiepiscopum ecclesiae archiepiscopal Perusinae; r. p. d. Barnabam Piedrabuena, episcopum titularis ecclesiae Cestrensis, in episcopum cathedralis ecclesiae Catamarcensis; r. p. d. Hermannum Zschokke, canonicum metropolitanae ecclesiae Viennensis, in episcopum titularem ecclesiae Caesareae Philippi et in auxiliarem Emi. ac Revmi. Dni. Cardinalis Archiepiscopi Viennensis; r. d. Angelum Bartolomari, presbyterum archidioecesis Taurinensis, in episcopum titularis ecclesiae episcopal Derbensis et in auxiliarem Emi. ac Rmi. Dni. Cardinalis archiepiscopi Taurinensis; r. d. Ioan-nem Ward, presbyterum dioecesis Leavenworthiensis, ibique rectorem ecclesiae S. Mariae Kansanopoli, in episcopum cathedralis ecclesiae Leavenworthiensis; r. p. d. Gulielmum Timotheum Cotter, episcopum titularem Clasensem, in episcopum cathedralis ecclesiae Portusmuthensis; r. p. d. Emmanuelem Antonium Oliveira Lopes, episcopum titularem Tabensem et Coadiutorem cum futura successione episcopi Fortalexiensis, in episcopum cathedralis ecclesiae de Alagoas in Brasiliana Republica; r. p. d. Robertum Calai-Marioni, dioecesis Nucerinae, Vicarium Foraneum in loco vulgo *Gualdo Tadino*, in episcopum titularis ecclesiae episcopal Hessebonensis; r. p. Augustinum Zampini, ex Ordine Eremitarum S. Augustini, provincialem Hetruriae et magistrum in suo Ordine, in episcopum titularis ecclesiae episcopal Porphyreonensis; r. d. Emygdium Trenta, canonicum cathedralis ecclesiae Asculanae in Piceno, Cancellarium episcopalem, in episcopum cathedralis ecclesiae Larinensis; r. p. d. Ubertum Mariam Fiodo, iam Vicarium Generalem et Capitularem Civitatis Plebis et administratorem apostolicum dioecesum Cornetanae et Centuncellarum, in episcopum cathedralis ecclesiae Bovinensis; r. d. Eduardum Dionysium Kelly, presbyterum dioecesis Detroitensis, parochum civitatis vulgo *Ann Arbor*, in episcopum titularis ecclesiae episcopal Cestrensis et in auxiliarem episcopi Detroitensis.

Transtulit r. p. d. Ioachimum Antonium d'Almeida, a cathedrali ecclesia Piauhensi ad nuper erectam dioecesim Natalensem in Brasilia.

Brevi Apostolico nominati sunt: r. p. Paulus Perini S. I., episcopus cathedralis ecclesiae Mangalorensis; r. p. Ludovicus Munsch, Congregationis a Spiritu Sancto et Immaculato Mariae Corde, episcopus titularis Magnesiensis et vicarius apostolicus de Kilima-Njaro in Africa orientali; r. p. Raphael Presutti, Ordinis Fr. Min. Cappuccinorum, episcopus titularis Anchialensis et vicarius apostolicus Arabiae; r. p. Iacobus Romanus Bilsborrow, Congregationis Anglicanae O. S. B., episcopus cathedralis ecclesiae Portus Ludovici in insula S. Mauriti; r. d. Franciseus Bonne, archiepiscopus ecclesiae cathedralis Tokiensis.

— R. p. Iosephus Brunelli, O. M. Unionis Leonianae, inter Consultores S. C. de Religiosis adnumeratur.

— Iulius Repond Pontificiae Helveticae cohortis novus chiliarcus dicitur.

ANNALES

Annus MCMX.

In Commentarii nostri fasciculis elapso nuper anno, ut ab initio consuevimus, resumere singulis mensibus tum eventus studuimus, qui in ipsis civitatibus acciderent, tum disceptationes, quae in publicis coetibus legibus ferendis agitarentur. Neque absolutum opus perfecisse unquam nobis visi sumus, aut cogitavimus; sed tantum rerum gestarum quasi recognitionem habere, eamque sine partium studio, lectorum iudicio, relinquentes, quae inde sponte manarent.

Non hodie igitur, vela contrahentes, dicta repetemus; sed ad ea lectores humanissimos delegantes, nonnulla tantum deducere mens est, indeque, si liceat, aliquid de incoepio nuper anno praevidere.

PUBLICI PER BREVI COETUS

Atqui si generalem politicam rationem ann. MCMX per orbem habitam respexerimus, id peculiari momento dignum exstisset nobis apparere, propositum guberniis omnibus maximarum civitatum - quibus facere non potuerunt quin minores accesserint - commune, pacis omni ratione servandae. Quo quidem consilio posito, necessario fiebat ut quidquid dubii interciperetur, a rei civilis peritis illorum populorum, ad quos sive directe sive indirecte spectarent, aequo animo examinarentur, atque ea satis manifesta intentione, ut solutio inveniretur animo illi conformis, et quavis sublata acrimonia, unde nationis dignitas aliquo modo laederetur.

Huiusmodi non dubiae propensionis clarum argumentum ex eo etiam offertur, quod Hayense tribunal, - provida illa institutio, - congregari minime necesse fuerit ad gravia et necessaria iudicia emittenda, sed pro forma tantum legati nonnunquam convenerint, utque solum de minimis regulam aliquam atque normam statuerent.

Itaque acervi, ut ita dicam, maximarum in Europa civitatum, sive ex foedere sive ex amicitiae vinculis constituti, immutati permanerunt, pacificam actionem suam circum radiantes, ita ut populorum opinio certior fieret hanc unam fuisse et esse omnium mentem, pacem ipsam conservare.

Nec eiusmodi fides ex magnis copiis coactis perturbari credendum est; tritum est enim satisque expensum Romanum illud adagium: « Si vis pacem, para bellum ». Ita factum est ut timor quoque nunc absit contentiones oriri ex coloniis posse; quum persuasum iam cuique sit, singula imperia iam circa eas sepimentum suum definitivum prope invenisse.

Sic stantibus rebus, in tam tranquillo ac sereno caelo, quaeque civitas, anno qui proxime exortus est - quemque minus tristem circa rem oeconomiam futurum sperare iuvat - magis magisque ad internas necessitates, easque non leves, imo, propter alias sociales classes hic illic inquietas nimis, in dies difficiliores, studium et alacritatem suam convertere facilius poterit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia**, ex novis comitiis habitis, res ad statum quo ante reductae dici possunt, atque ideo antiquae difficultates, unde coetus dimissus est, minime remotae.

In **Austria**, rationibus acceptorum et expensarum in examen vocatis, administratorum collegium, praeside Biernerth, cui ante anni finem commissum inter alia erat commercii foedus cum Serbia componere, a munere abdicavit.

In **Batavia** rogatio legis de litoris defensione approbata.

In **Gallia** leges ad operariorum ab opere recessione coercendam propositae.

In **Germania** constitutio pro Alsatiana civitate sub libertatis regimine gubernanda ceterorum statuum legatorum coetui examinanda traditur. Lex de opificum generali consilio acriter disputatur.

In **Graecia** nova comitia favorabilia Venizelos parti omnino cesserunt.

In **Hungaria** publici consilii, interveniente primo regni haerede, pro Francisco Iosepho Caesare, sessiones resumptae.

In **Italia** rogata ab administratorum collegio lex de iure suffragii innovando, cui socialistarum factio valde adversatur.

In **Serbia** commercii foedus cum Austrorum Hungarorumque imperio ratum habitum.

In **Turcarum imperio** gubernii praeses fusa oratione tum interna tum externa regni negotia exposuit.

PER ORBEM

Die I mensis Decembris MCMX atrae procellae in Gallia furiunt, novasque inundationes ferunt, Lutetiae Parisiorum praesertim, Nannete, Caesarduni.

— d. II ad Romam novae aviationis victimae lugentur, Cammarota machinator et Castellano miles.

— d. V in castro S. Firmini prope Gallicam urbem Chantilly moritur Robertus de Chartres, Dux, Aurelianensis familiae propinquus et fautor.

— d. VI nuncium vulgatur Gallicas militias, in Africana regione Wadai, a fanatico incolarum furore petitas, earumque chiliarchum Moll strenue pugnantem obiisse.

— d. VII, Lutetiae Parisiorum, Charcot explorator expeditionem suam ad antarcticum polum publice narrat.

— d. IX tempestates et inundationes ingentia damna et humanas victimas procurant in Insubria et in Ligurum Venetorumque terris.

— d. X navalia ad Brestiam magno incendio pessumdatantur.

— d. XI Beyruth ex urbe nunciant Mahumetanos ferriviam a Medina urbe ad Palaestinam interrupisse, curruumque serie Christianorum abundante potitos, trucidasse viatores.

— d. XV foederati Helvetiorum publici coetus civitatis praesidem dicunt M. Ruchet, iurisperitum.

— d. XX Farman aviator, ad Parisios, telegraphum filis expertem, ex aeroplano suo bono exitu experitur.

— d. XVI, Bolton ad Anglicam urbem, cunicularii trecenti quinquaginta duo improviso fodinae incendio misere absumuntur.

— d. XXII Caecilius Grace aviator Britannicum fretum transgredi aggressus, a via propter nebulas aberrat; neque de illo, neque de machina sua vestigium deinceps invenitur.

— d. XXIV ad Kirby-Steplen in Anglia ob vaporitraharam et curruum contra procedentium excursionem, viatores duodecim necantur; quinquaginta et ultra vulnera patiuntur.

— d. XXVIII, Lutetiae Parisiorum, Laffont et Pola avatores, vix in aërem tracti Bruxellas petituri, in terram praecipitant statimque vita privantur.

— d. XXIX Messanae, fortuito incendio publici diribitorii, telegraphi et telephoni tabernacula, pluresque casae ligno post terraemotum structae, comburuntur.

— d. XXX, Lutetiae Parisiorum, et aliam aviationis victimam lugent, De Caumont centurionem.

Fortuna opes auferre, non animum potest.

SEN., Med., CLXXVI.

IOCI*Loquacitas molesta.*

Colloqueris quoties, globulos divellis, Amuli,
Atque trahis tunicas, dilacerasque simul.
Non satis; et ventrem pulsas scapulasque pedesque
Irrorans nostrum rictus et imbre tui.
Haec essent nugae, nisi nos torrente tener.s
Verborum summam de nova ad usque diem.
Sudores magis ipse loquens, si credis, Amuli,
Sub Cane quam passum millia dena trahis.

LIBRORUM RECENSIO

Prof. Dr. GUSTAVUS PÉCSI. *Crisi degli assiomi della Fisica moderna.* — Versione italiana del Professor FILIPPO TRUCCO. — Romae edid. Desclée et Soc.

In hoc opere auctor circa tres leges a Newtonio propositas de motu et actione corporum critice inquires, eas falsas a se demonstratas contendit; hinc totum aedificium scientificum his legibus superstructum reformandum esse docet. Ne longius sermonem protrahamus, id tantummodo notare velimus; secundam et tertiam legem Newtonianam ab auctore falso intelligi, primam vero aperto sophismate ab eo impeti. Putat enim motum seipso exhaustiri et desinere, eo quod impulsus cum corpore communicatus natura sua sit finitus. Quare corpus etiam in perfecto vacuo motum tandem aliquando per seipsum quiescat. Si enim aliter res procederet, ait auctor, causa finita et impulsus finitus motum infinitum progignerent.

Sed facile respondeatur, causam finitam non producere motum infinitum, seu indefinitum quoad intensitatem, sed quoad durationem tantum; iamvero minime repugnat causam finitam posse producere rem vel qualitatem indefinitae durationis, dummodo Deus per indefinitum tempus hanc rem vel qualitatem conservare velit.

R. MARCONE O.S.B.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cipiatur, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

Card. ALFONSO CAPECELATRO. *Amore e dolore cristiano.* — Romae edid. Desclée et Soc., 1910. (Ven. lib. 1).

ID. *Il nostro dolore e la passione di Gesù Cristo.* Conferenze. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

ID. *Del godere e della felicità umana. — Il figliuol prodigo.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Mons. NICOLA ROCCO DI TORREPADULA. *Fatti e pregiudizi odierni sulla questione religiosa sociale.* Osservazioni. — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

I. B. FRANCESIA. *Actiones dramaticae Latinae plautinis versibus conscriptae.* — Augustae Taurinorum edid. officina libraria editrix Societatis *Buona stampa*, 1910.

P. FEYEL. *Les Jeunes Filles françaises et le problème de l'éducation.* — Lutetiae Paris. edid. Bloud et Soc., 1910. (Ven. lib. 0,60).

F. LAUDET. *La Soeur Rosalie.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

M. BLONDEL. *La psychologie dramatique du Mystère de la Passion à Oberammergau.* — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

AENIGMATA

I.

SUMAR depoliendus, an exurendus ineptus?

In toto, legit, vertice consideo.

II.

Litibus exigitur, legi paretque severum.

A carne exoritur, viscera restituit.

F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

Dies Christi Natali prævia

Ad exemplar carminis Bohemici C. I. ERBEN latine scripsit
Fr. PALATA.

Aenigmata an. XIII, n. X proposita his respondent:

- 1) Deus superbis obstat;
- 2) Bis bina sunt quattuor.

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Rich. Brondel, *Brugis.* — Iac. Costa, *Dumio.* — Rich. Müller, *Berolino.* — F. Correa, *Emerita.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Alf. Martinez, *Badaicio.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Vinc. Starace; Alex. Pintauro, *Neapol.* — Iac. Fernandez, *Mexico.* — Clem. Fiard, *Curia Retherorum.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Mart. Dunne; Eug. Dolmar, *Neo Eboraco.* — F. Guerra, *Aletio.* — F. Arnori; A. Tonelli, *Mediolano.* — I. Ciolli, *Papia.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — Alb. Catteau, *Lugduno.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Ant. Whiteside; Alb. Kain, *Dublino.* — Raim. Silvan, *Londino.* — Arch. Magliano, *Genua.* — F. Ortiz, *Morelia.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — I. Martins, *Philadelphia.* — Iac. Cordara, *Parentio.* — Nie. Lagumina, *Panormo.* — R. Richi, *Traianopolis.* — Hérn. Forgeot, *Nicaea ad Varum.* — P. Prado, *Venetis.* — F. X. M., *Drepano.* — A. Bouin, *Aureliano.* — E. Ricci, *Florentia.* — Barth. Ferraris; Ben. Savio, *Augusta Taurinorum.* — Carm. Zlincezy; Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — Ioan. Biava, *Bergomo.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Fr. Batuwiewicz, *Zytorimia.* — Max. Vronski, *Lobzow.* — Aug. Scriban, *Iassii.* — Adam. Kozłowski, *Petricovia.* — Fr. Rader, *Vaals.* — Theo. T. Chave, *Chicagine.*

Sortitus est praemium:

IACOBUS COSTA,

ad quem missum est opus, cui titulus:

ALOISII CLASII Lusus pastorales.

(Latine verit *Ioannes Battani*).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

EUPLIUS

(2)

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

DRAMATIS PERSONAE:

EUPLIUS, Diaconus.
CALVISONIANUS, Urbis Catanae praetor.
VOLUSIUS, Senator, Euplii frater.
MAXIMUS, Christianus rebellis.
FELIX, Custos theatri graeci et tabernarius.
CYRUS, eius filius.
OCRIS, Servus.

Milites, Gladiatores, Populus ethnicus et christianus.

PROLOGUS ⁽¹⁾

Euplius sanctus, Catanensium decus,
Redit senariis ornatus versibus,
Ut olim sanguine, imperante Caesare,
Amens! qui Christum perdidisse creditit. ⁽²⁾
Tunc multi indociles sacra volumina
Tradebant iudici, propter ignaviam.
Stetit sed Catanae sancta relligio
Virum per unum! Maximo qui pectore
Modo nec libros tradidit trepidulus,
Sed vitam potius quam fidem posuit!
A paucis voluit rebus historicis
Exordium facti poeta promere.
Personas ipsas refert et in medium
Verba Praetoris civitatis improbi.
Deus suis adest tunc per miracula,
Punit perversos, detegit fallacias,
Tuetur timidos, fortisque sustinet.
Quot ipsi texunt fallacias pessum!
Per urbem dolus dum Praetoris funditur,
Tremunt christiani, strepunt, rident ethnici,
Et Euplius certe periisse creditur,
Et ipse fulgidus paret divinitus
Et omnem vertit in Praetorem tragulam.
Modis sed quibus? Vos ipsi videbitis.
Redit quam pulchre redimitus laudibus
Hic Euplius noster, novis cum meritis,
Exemplum magnae constantiae civibus,
Hisce praeclarus turpibus temporibus,
Queis sunt viri similes arundini
In sylva ventis actitatae trepidis.
Venit puer nobis opportuno tempore,
Docens nos pueros vitam qui incipimus,
Et illos, proximus quibus est exitus,
Quam sit relligio tenenda firmiter!
Vacivis auribus, spectatores optimi,
Lubentes fabulam latinam sumite,
Vobisque faustae cunctae res eveniant.

(1) Erit CYRUS. — (2) In inscriptione nuper inventa legitur: *Divo Diocletiano, dæto christianorum nomine.*

ACTUS I.

SCENA I. ⁽¹⁾

POPULUS, CALVISONIANUS et MAXIMUS.

I. POPULARIS.

Diis sint actae gratiae quam maxima,
Servarunt Caesarem qui nobis incolumem!

II. POPULARIS.

Per omne vivat imperator saeculum!

III. POPULARIS.

Has obfert nobis ultro qui delicias.

IV. POPULARIS.

Eamus alacres, manet spectaculum!

V. POPULARIS.

Morari non deceat nos senes neutiquam!

MIMI (*superbo incessu*)

Sumus nos Mimi!

GLADIATORES (*severiore gradu*).

Gladiatores sumus...

SCENA II.

CALVISONIANUS et MAXIMUS.

CALVISONIANUS (*post breve intervallum*).

Ite vos intro, mali cives, numerus,
Ut olim vates vos vocavit optime,
Modoque segetes nati consumere,
In quibus attamen nituntur Caesares.
Sed... expectamus virum, nec ipse venit...
Ferat qui civibus gratum solatum.

MAXIMUS.

Quis est vir iste quaeris quem tam cupide?

Est ne Volusius? Princeps spectaculi?

CALVISONIANUS.

Is est!

MAXIMUS.

Cur ista dicis cum fastidio?

Et hoc quod magnam nobis fert laetitiam,
Cur ita cerno plenum te aegritudinis?

CALVISONIANUS.

Vir unus est qui maxime me lancinat,
Suo qui molestat vel noctes cuspede.

MAXIMUS.

Is? Omnes superat viros qui dulcedine?

Ni clarus dixeris, quid tibi suggeram

Quidem pol! nescio.

CALVISONIANUS.

Dabis consilium?

Cave ne dicas nulli quid aperiam.

Erit sed aptius profanis auribus,

Loquendi causa, parum nos abducere (*introeunt in posteriorem partem*).

(Ad proximum numerum).

(1) Atrium qua itur ad theatrum Graecum. Dies festus agitur in memoriam Maximiani imperatoris, qui a viginti annis imperium obtinet. Ludi solemnes indicuntur et luctae gladiatorum. In extrema theatri parte, populus transit, transeunt et Mimi cum gladiatoribus. Interea ingreduntur Calvisonianus et Maximus, qui, ut ludis auspicentur, Volusium senatorem exspectant.